

contra impiorum violentiam & crudelitatem orando erigere, & opem à Deo, etiam nobis irato, implorare debeamus. Memorantur hîc talia, quæ vt Deum magis quàm nos afflictos cōcernunt, ita certè inulta transire nequeunt. Blasphemiam, nominis sui Deus ferre nequit, nec tolerare potest, vt populus ipsius, desolatus ac gemebundus prorsus impiorum pateat libidini: pacti, quoniam verax est, neglector esse haudquàmquam potest. Blasphemiam, quæ & omni die indefinenter committitur, & quotidie magis atque magis augetur, non potest non vlcersi. Expandamus iam, quid impijssimus Turcarum Nabal in filium Dei Christum Iesum Dominū nostrum designet. Nomen illius probro afficit, non nostrum: idq; absque vlla intermissione, & quotidie maiore licentia: (sic enim solent impij, vbi nulla accedit diuina vltio.) Populum illius suppressit, non nos: pactum illius ac testamentum irridet ac pessundat, non nostrum: cum illo contendit ac bellum gerit, non nobiscum: vt certè non minus verè hodie hanc querimoniam coram Deo queamus miseri & afflicti effundere, quàm olim vsurpata est ab Israël: nec minore fiducia hostibus Christi omnium certissimam vltionem imprecari, quàm de quibus hîc agitur, imprecati sunt Israëlità.

Desiderium gloria Dei.

1. Sed etiam atque etiam videndum est, vt tales simus, qui ex animo de blasphemia nominis Dei doleamus, magis quàm de nostris calamitatibus: ne per simulationem verbis exprimentes, quibus corde non afficiamur, iram in nos Dei magis exacerbemus.

Sinceritas fidei, qua sumus populus Dei.

2. Deinde, vt ita nos geramus, vt verè nos turtorem Dei & afflictos Dei vocare possimus: hoc est, vt à Deo per idololatriam abalienati non simus. Alioqui quomodo Deo poterimus accenseri, si relicto illo, alienis, qui dij non sunt, adhæserimus.

Vera resipiscentia.

3. Tertiò, vt tales non simus, de quibus dici possit, quod isti de impijs hostibus Dei queruntur: videlicet quòd malitia nostra, qua itam Dei prouocauimus, absque resipiscentia omni die Deum irritet, & quotidie crescat & actior reddatur. Quomodo enim ista queremur de impijs hostibus Dei, si nec vrat animos nostros diuini nominis blasphemia: nec tales fuerimus, qui verè populus Dei dici queamus: & quod de impietate aduersariorum, æquè de nostra dici poterit malitia? Proinde hæc querimonia & opis diuinæ imploratio non potest esse nisi piorum.

ALTERVM Vers. 21.

Ne auertatur pauper confusus, afflictus & inops laudant nomen tuum. ] Hoc versu duo memorat. Primum, quòd sint pauperes: quod commiserationis gratia erga eum precando proferunt, quem sciunt miseratorem esse pauperum & afflictorum. Precantur autem ne auertantur confusi: hoc est, ne deferantur. Alterum, quòd afflictus & inops ij sint, qui nomen eius laudent: hoc est, bene de eo sperando gloriam eius deprædicent: id quod sit illis ignominia futurum, si deferantur.

OBSER.

Notemus hîc quæ de suo adferant. Non dicunt, Ne auertatur iustus, qui non peccauit, confusus. Nec dicunt, Nos iusti prædicabimus nostram innocentiam & iustitiam: sed, Ne auertatur pauper, & afflictus & inops laudent nomen tuum. Nihil agnoscunt in se quod sit eximium, & laudis aliquid adferat. Misericordiam suam coram Deo, tanquam pauperum & miserorum consolatore agnoscunt, nominisq; illius laudem profitentur. Hoc & nobis faciendum Sed quæso, quomodo petent à Deo, ne cum pauperes sint, confusi auertantur, qui ipsi in hac vita nulla miserorum & pauperum misericordia tanguntur. Hinc illud est Proverb. 21: Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse, & non exaudietur. Simul etiam notandum est, qui sint nominis Dei laudatores ac celebratores: diuitesne & saturi, an ij qui afflictus sunt & inopes? Afflictus, inquit, & inops laudabunt nomē tuum. Quare? Quia ij potissimum sensu diuinæ bonitatis tanguntur.

1. Timot. 6.

## PSALMVS LXXV.

AD PRÆCINENDVM NE PERDAS, PSALMVS  
canti Alaph.

### ARGVMENTVM PSALMI.

**A**pparet hunc Psalmum à Dauide rege, vel post insignem aliquam victoriam contra hostes Dei partam, vel cum iam esset in regnum inauguratus, ad hoc esse compositum, vt in eo pij ac iusti regis exemplar depingeret, & populo decantandum proponeret.

Dispositio Psalmi.

Sunt autem Psalmi huius partes istæ. 1. Prima habet doxologiam Dei, vers. 1. & 9. 2. Altera completur p̄ regis propositum, de administranda recti iudicij equitate, restituenda terra miserè corrupta, & humiliandis impijs ac erigendis iustis, vers. 2. 3. 4. 5. & 10. 3. Tertiæ rationem adiungit à iustitia & potentia Dei impiorum vltice sumptam, vers. 6. 7. & 8.

VERS. I.



**C**ELEBRAMVS te Deus, celebramus, & propinquum nomen tuum prædicant mirabilia tua.

2. Cùm accepero destinatum tempus, ego ex æquo iudicabo.

3. Liquefiet terra, & omnes qui habitant in ea: ego cōfirmam columnas eius, Selah.

4. Dicam stultis, Nolite stultè agere: & impijs, Nolite exaltare cornu.

5. Nolite extollere in excelsum cornu vestrum, nolite loqui ceruice præfracta.

6. Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque ab Austro quisquam est qui exaltet.

7. Quo-